Buydecki Floriani Capitolium virtute et e-
ditione sublime.

CAPITOLIUM
Virtute & Eruditione
SUBLIME,
in applausum
GENERALIS CAPITULI
Canonicorum, Regularium Hierosolymitanorum Custodum SS. Sepulchri CHRISTI, Miechoviæ
CELEBRATI.

Per

R. FLORIANUM BUYDECKI,
ejusdem Ordinis Canonicorum, Sacræ Theologiæ Auditorem,

Cultu Panegyrico
EXTRUCTUM.

Anno Domini 1723. Die 5. Octobris.

CRACOVIÆ,
Typis Francisci Cezary, S.R.M. Celsissimi Principis, Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi Cracov: Ducis Severiæ, Ordinarij Typographi.

In Stemma
APOSTOLICI ORDINIS.



ROmanæ jactet nemo CAPITOLIA gentis,
Absq; PETRA steterat & simul absq; CRVCE.
Isti (a) quod VIRTUS, prudensq; SCIENTIA struxit,
Dat PETRUS ipse PETRAM, præsidiumq; CRUCIS.

(a) *idest Capitolio.*

PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. PETRO BOROVIO,

Sacræ Theologiæ DOCTORI,
Canoniæ Cracoviensis PRÆPOSITO,
CURATO Vrociriensi,
Ordinis Canonicorum Hierosolymitanorum,
Custodum SS. Sepulchri CHRISTI,
GENERALI CUSTODI,
Prælato ac Benefactori Amplissimo.

NUllibi solidiùs meum apparebit Capitolium, quàm in Petra. Perillustris & Reverendissime Domine. *Alibi nec possum Capitolij stationem figere, quàm in Tuo Perillustri Nomine. Nemini hoc sublime consecrari convenit Capitolium, nisi Tibi: qui laureatus Romano in Capitolio exstitisti; ubi ad PETRI Petram ita Tuum acuisti ingenium, magnoq; sudore partam roborâsti Sapientiam, ut laureatus DOCTOR in Capitolio Romano audire merueris. Cùm enim Romana Sapientia, aureum Caput Tuum appretiari non posset, Doctorali Theologiæ illud, coronavit lauru. Non jactet triumphalibus gravatos laureis elatos Elephantes, sublime ingrediens Æmilianus Capitolij fastigium. Desistat Maximus magnorum Victorum Triumphator Pompeius, Romano in Capitolio, victricibus spolijs onustos ostentare cervos. Sat gloriæ habet Romanum Capitolium, quia Tu Doctorali onustus lauru, Victor ingeniorum in illo cernebaris. Tibi debetur hocce sublime Capitolium, qui non solùm Capitolia, sed MONUMENTA Regibus IMMORTALIS GLO-*

GLORIÆ erexisti. Voce clamantis Tua resonârunt facta, qui Nomen JOANNIS III. eruditâ pennâ è sepulchrali cinere evolare fecisti. Sole clariora Tua opera, qui Regnorum Soli in occasu splendorem addidisti. Tu è SZEMBECIANI Pæsti floribus, Coronas ac serta, PURPUREÆ nectebas CRUCI; ROSAS RUBENTES purpurâ, in Horto SEPULCHRI DOMINI plantâsti Hortensius. Verbô complectar universa: quidquid Doctorali scripsisti calamo, sublime fuit, quidquid notâsti pennâ ponderosum, quot verba, tot nummi, quot syllabæ, tot prætia, quot literæ, tot ex Erythræo Scientiarum, in paginam profluentes gemmæ. Cessissent Tibi Tullius & Demosthenes suas exedras, si Tuo facundo ori, aures accommodâssent suas. Tuis impono humeris præsens virtute & eruditione sublime Capitolium, quos Supremis in Religione Canonica supposuisti honoribus. Ter triennalem CUSTODIS GENERALIS ferebas honorem, sub quo non fatiscentem & indefessum Te Orbi monstrâsti Atlantem. Quantùm hoc gerens honoris officium, Religioni feceris ac præstiteris, sæcula loquentur, quidquid agis, aurô cedrôq; notandum, quidquid cogitas, æternitatem sapit, quidquid, fecisti posteris imitandum. Te Miechoviensis Canoniæ, magna ex parte Fundatorem veneramur, dum Novitiatum, Sæculorum injuriâ, jam planè ruderibus sepultum, magno labore erexisti; sed quàm firmissimè, dum supra Petram, quàm feliciter ipsi parietes à Te in altum sublimati obstupescunt, obstupescendo Te æstimandum monstrant Orbi. Miechoviana Turris, pro immenso circa illam labore sub cælos extollit Nomen Tuum, famamq; Tuam in altum attollit. Tuo debet consecrari Nomini eruditione sublime Capitolium, qui translatas de Canonia Miechoviensi Athenas, ea charitate, benevolentiâ & liberalitate apud Te fovisti, & foves, ut eis Alumnisq; ipsarum nihil unquam deesse sit certissimum. Suscipe itaq; tenuem hanc operam; quam puto non aspernaberis, qui omnes literas adamâsti, ego verò ut Tuum sublime Nomen immortale habeatur & perpetuum, sublimi illud inscribo Capitolio.

Perilluſtris & Reverendiſſimæ
Dominationis Veſtræ,

servus humillimus

FLORIANUS BUYDECKI,
Canonicus Regularis Hieroſolymitanus.

ORATIO.

AUgustum aggredior Capitolium. AA. Sed ne in limine offendam vereor. Ante coronata Consiliô Capita, ne quis Censorinus Cato, non benè lotum in Tullianis fontibus, suô perstringat superciliô vereor. Ne capitalem pænam merear; ante sublime Subtilium Capitum peroraturus Capitolium expavesco. Pallet rosea hîc Hortensij eloquentia, ad CRVCIS purpuram. Vilescit phalerata verborum magnificentia, quia Vestra tota in CRVCE gloria. Obmutescunt sigillata ora silentiô, ubi pectora signata CRVCE. Perennis sustentationis observatur figura, ubi figuram CRVCIS pectus explicat. Totam licèt Regina animorum eloquentia, induat verborum purpuram, adhuc tamen ad solenniorem CRVCIS muricem erubescet. (a) Vbi niveus exalbescit Rocheti candor, necesse ad Panegyres exalbescere, & intra Pharios Harpocrates candidatum esse. (b) Vbi Filiorum PATER, tonitrui Filius; ipsa etiam ardentis Demosthenis, aut tonantis Periclis, acutioris styli fulmina hebetantur. Vbi publica Religionis loquuntur oracula, ab ore cernuntur prodire gratiæ, interrogantium subitò expediuntur quæstiones, Senatus in ore cernitur, ubi argutè prolata argutiùs, graviter dicta graviùs, non sine plausu, sine dicentis rubore refutantur, ubi

(a) Habitꝰ Canonicorũ Nostri Ordinis Rochetũ, privilegiô Leonis X. & aliorũ summorum Põtificum, ac Decretó S. R. C. confirmatꝰ

(b) S. Jacobus Apostolus, Primꝰ Episcopꝰ Hierosolymitanꝰ, Fundator Canon: Reg: Hier: Custodum SS. Sepulchri Christi.

 pro-

pronis auribus laudeq; accipiuntur verba, ubi dùm de consilijs & incolumitate Religionis fertur sententia, Princeps animus in verbis cernitur, ibi privata eloquentia, in mutam Memnonis obrigescit statuam. Itane imbellis svada? infractos legum Atlantes, tanta Ecclesiæ lumina, Religionis columina, Statores Nostræ Reipublicæ Joves, semper in meta situatos gloriæ; qui consiliô servant Divorum Ædes; quorum sublimis cogitatio, diligens solicitudo ac desiderium, ut vivat Religio; quorum labor & desudatio eò collimat, ne ægerrimo partu notati Agrippæ, pedibus primò Religionem calcantes antequam videntes, nascantur Ordini; quorum aurô ponderosa audivêre verba, felicia (a) Principis Jaxianæ Domûs marmora, præ Delphicis Sanctiora lapidibus, quæ toties voce tantorum resonârunt Virorum, plausus reddiderunt toties, quoties illi facundissimum os, quoties purpuratum in oracula resolverunt pectus, silentiosô adorabis stylô? Ita est Senatus Canonice. Quis enim coram Tullio Orator? quis coram purpurato Virorum Senatu disertus? Conspectus Alexandri sudorem elicuit simulacro Orphei, etiam hodie par miraculum Oratorum ingenia sortiuntur, dum conspectus Vester sudorem elicit Oratorũ ingenijs. Atram hîc patiuntur ecclypsim eloquentiæ lumina, quia inextincta, primæ magnitudinis & Supremo Jovi, æqualia estis sidera, quæ nec aquilina potest sustinere palpebra. Prorsùs Regina animorum eloquentia, nunc agit Vestrî mancipium, quia immensa merito-

(a) Ioãnes Iaxa, ex Sanguine Ducum Poloniæ, Fundator Canoniæ Miechoviensis.

rum

rum Vestrorum magnitudo, solutam captivat eloquentiam. Si verò liberiori passu tentarent ferri, ad sublime gloriæ Vestræ culmen, eruditæ Oratorum pennæ, aut elevatô ingeniô acuti Oratorum impetus, Phäëtonteum non effugerent casum; luget temerario ausu non eminens, alta petens Phäëton, ruit simili excessu Icarus, & Icarias nomine haurit aquas; in superbam, quia stellas conscendentem Gigãtum cupidinem, movit Cælum cum Jove fulmina. Vellem hodie Vestra in Religionem merita, Gaditanis attollere Colossis, exambirem Pario marmore convestire, sublimium Capitum Capitolium, integram Myronis operam, totam Lysippi artem, nobilissimam Praxitellis praxim, Vestro consecrare Capitolio; sed grande quod fero opus, & cujusvis pennæ superans vires munus, tanto labori Atlantem me non sentio, & tantum opus ferendum attento! Non tam operosum est Apelli vel Archimedi, tenui penicillo adumbrare universum, quàm vestrorum meritorum universitatem, Tullianis illustrare encomijs. Verùm quid agis imbellis svada? itane vocalem Ordinis Nostri famam, altô præteribis silentiô? gemens sub Harpocratico silentij pondere assurge in meliores ausus Oratoris facundia! vivaciorem oris revolve cothurnum, in meliores spes fortunata verborũ erigas desideria. Lumina Rhetorica si desunt, à Sole Doctorũ AVGVSTINO (quem Legislatorẽ & Doctorem Ordo veneratur Noster) splendorem Oratio derivabit. Roseus CRVCIS color, nudam ornabit dictionem. Acuet stylum, SEPVL-

CHRI (cujus Cuſtodiam agimus) Hieroſolymitani lapis. Divinus SPIRITVS, quem Sacra Jaxiana Domus habet in Titulum, Vniverſitatem docebit linguarum, ut Vniverſale Capitulum, ſublimi comprehendam Capitolio. Favebis Pneuma Diviniſſime, ut aſſurgat hæc moles, hoc virtute & eruditione ſublime Capitolium. Ad Tuam venerabundus confugio clementiam, doce me & lingvam errãtem in opus dirige. Veſtram verò ſi non tanget (ut juſtum eſt) ſublimitatem dictio, tenuitati ejus & ſublimium meritorum Veſtrorum magnitudini adſcribetis.

Illud cenſeo eſſe celſiſſimum, ubi alta virtutis faſtigia & eruditionis magnitudines, ſuam extendunt ſummitatem. AA. Sublime ipſiq; Jovi conterminum CAPITOLIVM, ubi neſciens humi ſerpere virtus & eruditio ſummum tenet. Crederem Solis Regiam, aut a tum honoris templum, ubi virtutis & eruditionis ſplẽdor, proprios ſpargit radios. Quid etenim, in virtute & eruditione videri poteſt exiguum? quid cogitari demiſſum? ſi enim percurrantur elevatæ mentis capita, quid hîs excellentius? ſi tandem ipſi affinis Cælo, veniat in admirationem virtus, quid hâc eminentiùs? cedant hinc, pompatica contermina Polo montium cacumina, aurô micantia Neronis palatia, ſublimes Gaditani Coloſſi, excelſæ Athenienſium ſuo Demetrio extructæ Columnæ, auguſta à Chaldæis Beroſo fulcra poſita, ſtupenda à Romanis Nummæ & Servio, ob virtutes excellentes, ad perennem immortalitatem conſecrata columina,

na, ſepeliantur in ſuis ruderibus & atra oblivione, ſeptena Orbis miracula, non ſuperbiat Olympi regnator Juppiter, quòd ſtellis approximatum Olympum teneat; ſola virtus & eruditio, tàm altum ſe extulit, & ultra nomen prope ultra gloriam abiêrit. Nunquam Platonicus Ariſtoteles, Princeps Philoſophorum evaſiſſet, ſi non eruditâ pennâ in altum evolâſſet. Nunquam Angelicus, Princeps Theologorum cenſeretur THOMAS, ſi in illius cerebro ſublimis virtus & eruditio non fixiſſet CAPITOLIVM, quam inde æſtimate ſublimem, quòd ultra Solem in THOMA eminuerit. (a) Nunquam Theologorum Primas, Doctorum Doctor & Noſtri Ordinis AVGVSTINVS, uſq; ad Solem tolleretur in altum, ita ut Sol Doctorum vocitari mereretur, ſi illi eruditi calami & celſiſſima virtus non addidiſſet alas. Soli itaq; virtuti & eruditioni, celſiſſimum culmen tenere licet. Etiam in ſublimi Olympi vertice, excipiuntur docti characteres; tendit ad ſumma, ſcientiarum ſumma; rotunda Doctorum periodo, volvitur in altum eruditio; Doctorum calamis, ad ſumma ſe evehit; ſubtilium Theologorum gemmæ, celſiſſimis imprimuntur coronis, quotquot enim rutilantes, in ſplendido Regnorum diademate ſapientûm radiare uniones, humana advertit palpebra, omnes ex Erythræo ſcientiarum profundo, enatâſſe compertum. O ſublimem eruditam virtutem! quæ ex ipſo Cælo, ſuam ſumpſiſſe jactat originem. O celſiſſimam eruditionem! quam ex ipſo Supremi Jovis cerebro, prodijſſe

(a) *S. Auguſtinus eſt Legislator & Doctor Canonicorum Hieroſolymitanorum.*

ex-

experimur. Et quomodo ſublime non debet nuncupari CAPITOLIVM, ubi hæc ſublimis virtus & eruditio, non Hoſpitem agere comprobatur. Etiam ad hunc aureum animorum Veſtrorum nexum, annexa virtus & eruditio; hîc ſibi Regina animorum ſapientia, auguſtam ædificavit Majeſtatem, hîc pectus probitatis ruborem explicat, hîc meritorum maturitas Senatum exſtruit, quæ adamantinis diſertiſſimi Plinij, facundi Tullij, inſerere tabulis, venturis non negliget ætas ſæculis. In rotunda hac Majeſtate, tanquam in aureo Pyrrhi annulo, univerſæ ſedem ſibi fixerunt Muſæ; hîc Athenas ſapientia, hîc Areopagum Themis, hîc CAPITOLIVM virtutes habent. Dicam potiùs, (a) quod coronatum Caput protulit: *Miechoviense Collegium, vetuſtate & pietatis notâ inſigne.* Pande jam ô virtus! CAPITOLIVM, ſublime eſt quia eruditione altum, virtute celſiſſimum. Ad ſublimitatem virtutis, ſublimia in præſenti Capitulo ſi obſervare licebit oracula, (in quibus cana quædam ſe prædicat maturitas,) nemo ſublime negabit CAPITOLIVM. Hîc aureô conſiliô decertabant & ſimul laurum nectebant Capita; de ſalſo eorum ſudore, dulcia Religioni fluunt otia. Sublimi hoc in CAPITOLIO, quotquot Canonica Nomina, mortalium cernit palpebra, tot Capitolinos Conſules, dicam potiùs Conſos, Collegas non jam Aureliani Auguſti, ſed progenies Aurelij AUGUSTINI veneratur. O ſublime CAPITOLIVM! ruinam ne metuas, habes Capitolinos Joves, quorum ſtetiſti conſiliô. In ruderibus terræ

(a) *Vladislaus IV. Rex Poloniæ, in ſua Epiſtola.*

non

non fixiſſet Domicilium, conterminum ipſi Polo Ilium; nec ſuis ſepeliretur in cineribus, nobiliſſima ac univerſo terrarum Orbi notiſſima Troja, ſi ſtabile Conſilium obſervâſſet Priami; Regina omnium Diſciplinarum Græcia, nunquam ageret mancipium, aurea libertas ejus, in ferream non transmutaretur ſervitutem, nec Othomanicam ecclypſim pateretur ad Lunam, ſi illam Demoſthenis illuſtrarent conſiliorum lumina; nunquam Belgia, fatigaretur à bellis, ſi acquieſceret vocaliſſimis Taciti rationibus. Non perhorreſcerent, terrorem Orbis Alexandrum Thebæ, ſi tunc adeſſet audax Epaminondæ prudentia, caderet Stator Alexander Orbis, ſi tunc ſtetiſſent Pindari matura Conſilia. Alia verò millena nobiliſſima Emporia, quid memorem? quorum vix jacent tumuli, vix apparent cineres, vix ſquallent favillæ, quæ in levem non diſſiparentur pulverem, ſi animarentur conſiliô. In noſtrą verò Religioſa Republica, hoc in Generali Capitulo, quot Viros, tot Capitolinos Conſules, aut veriùs Capitolinos Joves, quot celſa ſuſpicimus Capita, tot ſubtiles Conſiliorum ſenſus, uti in ſublimi virtute & eruditione CAPITOLIO numeramus. Deniq; ſi luſtrare licebit, illud inſigne virtutis & ſapientiæ CAPITOLIVM, virtutis Templum, JACOBI Sedem, primarium Noſtri APOSTOLICI Ordinis Caput, Hieroſolymam, etiam Sarmaticam Hieroſolymam, præſens hoc Vniverſale Capitulum, CAPITOLIVM virtute & eruditione ſublime judicabimus. Illud illud,

æstimavit, ac adoravit unicum cellum CAPITOLII Caput, (a) Pontificali Mitra decorum CAPITONEM, Polona Hierosolyma, hoc sublime virtute & eruditione CAPITOLIVM, quot Capita, tot bicorni Mitra & ipsa Hierosolymitana Infula, (quæ in Nostris plusquam per mille annorum spatia, enitebat Capitibus) dignos numerat Capitones; á quibus tanquam Senatus á Senibus præsens Capitulum vocitari debet. O sublimem vel ipso Capitolino Jovi consecratam molem! O sæculis memorandum opus! O sublime CAPITOLIVM! in quo ædificando non unum reperijsse constat Caput. Intueamur inclytam hanc Jaxianam Domum, Ordinis Nostri Vniversi Sedem, cernemus hîc coronatum virtute & sapientiâ Caput, (b) MARTINVM, primum Supremumq; hujus Canoniæ Præsidem, qui Hierosolymis ad instituendum hunc Sacrum Ordinem, gentilitij Gryphis, Fundatoris JAXÆ advolaverat alis, cujus in dictione non meminisse impossibile, quia licèt visio beatifica ejus velet vultum, speciem tegat marmor ac mortalitas, non tamen mutuam Filij ad Patrem relationem obruit. Sed dicetnè Gigantem Pumilio? exhaurietne gutta pontum? ita spiritualissimas MARTINI dotes, quibus animavit Religionem nullus est qui possit deprædicare Orator. (c) Admirandæ sanctitatis vertex, celsissimum scientiæ ac virtutis culmen, STANISLAVS STOICONIS, Angelus velatus carne, ab illis adhuc cælestibus Genijs, qui curas vigiles Hierosolymitani agebant Tumuli, vitæ deducens simili-

(a) *Capito XXV. ex Canonico Nostri Ordinis, Episcopus Hierosolymitanus.*

(b) *Martinus Nostri Ordinis in Canonia Hierosolymitana Professus, Canoniæ Miechoviensis Primus Præpositus, in opinione beatitudinis.*

(c) *Stanislaus Stoiconis, ex Canonico Nostri Ordinis Præpositus Generalis, Sanctitatis famâ illustris.*

militudinem, qui enim STANISLAVM non vidit, Angelum aſpiciat, talis apparet, quia Divina fruitur viſione. (a) Præclaras PRÆCLAI Epiſcopi Lubucenſis dotes, aureô notandas ſtylô, prelô gemmarum imprimendas, ſi quis conſideret, virtutis & eruditionis CAPITOLIVM in uno agnoſcet; ſuppoſuit hic Caput aureum Lubucenſi Inſulæ, ut Caput hoc eſſet CAPITOLIVM coronatum. (b) Præſuleâ Mitrâ exornatum Caput, quod ſe ipſum vix capit LEONARDVS SŁONCZEWSKI, ex hoc CAPITOLIO Supremꝯ Cathedræ Camenecenſis Præſul, cujus ſi Senatoriam veloci calamo attingeremus curulem, ipſis ruborem appingeremus chartis, ſi umbratili ingenio, illius tangeremus ſplendorem, Tulliani exſiccarentur fontes, ſi in minima eliquati pro Religione & Patria ſudoris gutta, Oratorios attingeremus calamos, hæc Oratoriam abſorberet fluiditatem. (c) Atlanticis humeris hoc ſublime CAPITOLIVM ſuſtentans, Religioſæ Reipublicæ Stator, STANISLAVS DZIANOTTY, Epiſcopus Feſſenſis, Suffraganeus Kijovienſis, cui quales animi dotes dedere Superi, qualem Infulato Capiti Judicij maturitatem, qualem eruditionis præſtantiam, qualem mentis habitum, cæteraq; dona donavere Dij, nulli conceſſum eloqui Oratori, adeoq; & ego de tanto Capite, loquendi materiam, relinquo æternitati. (d) Sed nullô magis, ſublimius apparebit titulô hoc CAPITOLIVM, quàm MATHIA ŁVBIENSKI, primô Ordinis Noſtri Canonicô, poſtea Principe & Pri-

(a) *Præclaus Grzymała, ex Canonico Noſtri Ordinis, Epiſcopus Lubucenſis.*

(b) *Leonardus Słonczewſki ex Canonico Noſtri Ordinis, Epiſcopus Camenecenſis & Regni Senator.*

(c) *Stanislaus Dzianotty ex Canonico Noſtri Ordinis, Epiſcopus Feſſenſis.*

(d) *Mathias Łubieński ex Canonico Noſtri Ordinis, primò Epi-*

mate Regni, hoc est Polono Vice-Rege, cujus Caput quinduplici redimitum Infula, si quis vidisset, CAPITOLIVM virtute & eruditione sublime, imò cellissimum in ŁVBIENIO Principe, stupuisset. (a) Aureo Capiti ŁVBIENII, aurum addo ad SEPVLCHRI CHRISTI tanquam ad Lydium probatum lapidem, PETRVM KORYCINSKI, Nominatum Antistitem Premysliensem, sed re ad Serenissimos Hispaniarum Reges Legatum. Purpuratæ Cruci, adjunxit hic legatialem ruborem, ijsdemq; humeris purpuram & virtutum habitum sustentavit. Illustrissimos meruerat titulos, qui quondam Regnorum Soles in admirationem movit. Sed quis est? qui hujus ad MICHAELEM KORYBVTH Poloniarum Regem, gesta declaret Orator? acutiori stylo, vel ipsas Rosas loqui expedit, si velis acutos enses, vel Rosas aureas, è septicollibus Mōtibus, Regibus proferentem monstrare Orbi; quidquid tunc egit vel dixit, omnia venerationem admirationis promerentur, omnia posthumis sæculis recolenda. Sed quorsum hæc Panegyrica processit digressio? Summa Miechoviensis Infulæ Capita, (b) *Nostri* (utar verbis, STEPHANI Polonorum Regis,) *Nobilissimi Ordinis* Patres, enumerare vix possibile. Dulcescunt quidem illa aurea memorando sæcula, sed tantùm in sui rapiunt non minùs stuporem, quàm admirationem. (c) Satis cum CLEMENTE IV. Pontifice Maximo dixisse: *Canonicos Nostri Ordinis, esse veros Divinæ Fidei, ac Culturæ Christianitatis Athletas.* Hoc tamen unicum obser-

Iscopus Chelmensis, deinde Posnaniensis, mox Vladislaviensis & Pomeraniæ, tãdem Archiepiscopus Gnesnensis & Regni Primas Primusq; Princeps.

(a) *Petrus Korycinski Canonicus Nostri Ordinis, ad Serenissimos Hispaniarum & Portugaliæ Reges Legatus; ab Innocentio XI. Romano Pontifice ad Michaëlem Korybuth Poloniarum Regẽ itidem Legatiali purpura donatus, Regi gladium, Reginæ Rosam auream à Põtifice obtulit.*

(b) *Stephanus Rex Poloniæ, in sua Epistola.*

(c) *Clemens IV. Pontifex Maximus, in Bulla quæ*

servare liceat quòd dum cultu Panegyrico, non in Saturnio, ast in Polonæ Hierosolymæ monte, sublime exstruere cogor CAPITOLIVM, tam multa reperijsse constat Capita; quapropter præsens quod meditamur opus, sublime esse CAPITOLIVM non dubitamus. Romanô felicius hocce Hierosolymitanum CAPITOLIVM, illi enim unicum tantùm viscera omniparentis terræ genuere Caput, præsentis structuræ CAPITOLIO tanta sunt Capita, quorum Sacræ Pontificum tiaræ, illustres Patriarcharum Coronæ, splendidæ Principum Mitræ, gemmis coruscantes Præsulum Infulæ, immortales Doctorum laureæ, Summum verticem occupârunt. Hîc validiora Romulô, Sanctiora Nummâ Pompiliô, fortiora Tullô Hostiliô, sapientiora Priscô Tarquiniô, illustriora Serviô Tulliô suspicimus Capita. O illustre credite jam CAPITOLIVM! cujus sublimitas à celsissimo virtutis culmine, ab alto sapientiæ fastigio derivatur. Sed jam excelsum, jam sublime extructurus CAPITOLIVM Orbi Christiano spectandum, altum etiam ori impono silentium, incipio jam Harpocratem agere, ubi Demosthenes esse desino, lingvam jam arctari volo, ubi soluta Oratio præcipitem se à sublimi CAPITOLII vertice reformidat; jam hoc sublime CAPITOLIVM finali cupio coronare serto, dum Rosam ori, rosam Vestris adsterno præconijs.

D I X I.

incipit: Terra Sancta Christi respersa Sangvine &c.

servare licet, quod dum cultu Panegyrico con-
[illegible] in Positione Illustrissime mon-
[illegible] CAPITOLIVM,
tam [illegible] constat Capita; quapro-
pter [illegible] meditabamur operis, sublime
[illegible] CAPITOLIVM non dubitamus. Ro-
[illegible] Hierosolymitanum CAPI-
TOLIVM, illi etiam [illegible] viscera
[illegible] Capitis praeclaris
[illegible] CAPITOLIO [illegible] Capita,
[illegible] Pa-
[illegible] Corona, [illegible]
[illegible]
[illegible] Domum [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] CAPITOLIVM [illegible]
[illegible] alto
[illegible] excel-
[illegible] sublime [illegible] CAPITOL-
IVM [illegible] etiam
[illegible] Hippocratem
a[illegible] Deum [illegible] esse [illegible], sine vano,
[illegible] volo [illegible] Oratio praecipitem
se a sublimi CAPITOLII vertice referen-
dam; jam hoc sublime CAPITOLIVM
[illegible] coronare fero, dum Rosam
ori, rosam Vestris aeterno praeconiis.

DIXI.